



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

De duobus leprosis, qui vno tempore ad Ecclesiam B. Qvirini venientes
diuerso loco & dispari exim, ambo tamen curati sunt. Ode Monocolos
Tetrapstrophos. Metrum Glyconium ex Spondeo, Choriambos, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

Quid hic agis, inquit, homo? claudenda sunt fores,

Exi citò Dei domo,

Is denegat exitum sibi dari foras,

Per Martyris potentiam.

Quidnam Dei pro nomine contigit hinc tibi,

Ut hinc negetur exitus?

Refert per omnia crimen ille reus suum,

Furtum bouis seu sacculi.

Questus inuenitur isdem compater,

Quae damna culpa leserant,

Ei datur optio tandem de bis sex bubus,

Sibi deligendi quem velit.

Redduntur & nummi male possessi dolo.

Tibi laus QVIRINE personat.

De duobus leprosis, qui vno tempore ad Ecclesiam D.

QVIRINI venientes diuerso loco & dispari exitu,
ambo tamen curati sunt.

ODE MONOCOLOS TETRASTROPHOS.

Metrum Glyconium ex Spondeo, Choriambo,
Pyrrichia.

SPARSIT lepra duos simul:

Hi tumbam pariter sacram,

Festo Martyris incliti,

Disiuncti tamen, expetunt.

Ambo dissimili modo

Senserunt pie gratiam,

Deterse maculis suis

Hora dispare seu loco.

Vnus dum precibus studet

In Crypta posticus lare

HENRICH
SII
TOING
SIV
24

*Lassum somnus eum rapit,
 Et grata requie fouer:
 Quem cum deseruit sopor,
 Sudor plurimus occupat,
 Ipsum sordibus eluens,
 Cui mox pulchra redit cutis.*

*Exurgens alacer fugit,
 Decedensque loco sacro,
 Velox inde petit domum,
 Nil gesta memorans rei.*

*Hunc miles probus agnitum,
 Causam dicere iusserat,
 Confessumque reduxerat,
 Ut grates ageret Deo.*

*Tandem protulit omnia
 In se facta benignius,
 Sospes stans ope Martyris,
 Et sic latus abit domum.*

*Alter pressus ea lue,
 Ut venit, remeauerat
 Eger, vota precum dolens
 Quod fudisset inaniter:*

*Quaesuit tamen exiens,
 Qua fons Martyris effluat,
 Hoc à prætoreuntibus
 Addiscens, ibi se lauat.*

*Confestim recipit color
 Illum latus & optimus,
 Laudatur celeberrima
 Cui gloria Martyris.*